

**HISTORIA DIPLOMATICA**  
**FRIDERICI SECUNDI**

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT  
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPARUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT  
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

**J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES.**

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

**H. DE ALBERTIS DE LUYNES,**

UNICUS EX ACADEMIAE INSCRIPTIONUM SOCIIS.

---

TOMUS I.

PARS I.



**PARISIIS**

**EXCUDEBANT PLON FRATRES,**

36, VIA DICTA VAUGIRARD.

MDCCCLII. ω

papae Innocentio concedit ut cum Riccardus Fundanus comes cedere in fata contigerit, tam de comitatu Fundano quam de tota terra citra Garelianum posita libere disponat.

(Edider. RAYNALD., *Annal. ecclesiast.*, tom. I, ad ann. 1212, § II. — LUNIG, *Cod. Ital. diplom.*, t. II, p. 365. — PRATZ, *Monum. Germ. Hist.*, t. IV, p. 223.)

Sanctissimo patri et domino Innocentio summo pontifici, Fridericus Dei gratia et sua rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, in Romanorum imperatorem electus et semper augustus. De gratia vestra quam frequentissime sumus experti indubitata fiduciam obtinentes, presenti pagina duximus concedendum quatenus cum dilectum fidelem nostrum R. Fundanum comitem cedere in fata contigerit (1), tam de comitatu Fundano quam de universa terra citra Garelianum posita libere disponatis, ipsam donando vel obligando, retinendo vel concedendo seu committendo cuicumque persone juxta vestre beneplacitum voluntatis. Ad hujus autem concessionis nostre memoriam, presens privilegium per manus Petri notarii et fidelis nostri scribi precepimus et sigillo nostro jussimus roborari, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Rome (2), anno dominice incarnationis MCCXII, mense aprilis, XV indictione.

Romae,  
aprilis.

Fridericus rex Siciliae, in Romanorum imperatorem electus, ad supplicationem Petri Sancti Marcelli presbyteri cardinalis, monasterio Sancti Petri de Canonica quod apud Amalphiam idem

(1) Extant ap. Raynaldum ad ann. 1214, § VI, publicae litterae quibus Riccardus de Aquila secundus Fundanus comes ecclesiam Romanam de tota terra sua et baroniis suis haereditatem instituit; datae ultimo die januarii, anno 1212.

(2) « Fridericus a Gaieta descendens per mare ad Urbem vadit. Ubi a papa Innocentio et a caeteris cardinalibus senatu populoque Romano ingenti cum honore receptus est. » RICC. DE S. GERM., *Chronic. ad ann.* — Cf. *Chronic. Foss. Novae.*